


1978

L


1266

[47]









48 L 1266 E43

TRACTATUS
HISTORICO-CHRO-
NOLOGICI
DISSERTATIO
PRIMA,

De
Variâ computandi ævum hujus Univerſi
RATIONE,

ubi
Sententiæ præſcorum

Poëtarum & Philoſophorum, Juxta ac decantata
illa DOMUS ELIÆ Traditio, Sex millia annorum dura-
turo Mundo assignans, nec non ANALOGIÆ S. Pa-
trum, aliorumq; Authorum Chronico-
Mysticæ

TRIBUS SYLLOGIS,
Venerandæ ANTIQUITATIS

innixis
SUBSIDIO,
exponuntur

Operâ
JOHANNIS LUDOVICI RUELI, II,
Theol. & Philoſ. Doctõris.

ISLEBII, excudebat Andreas Koch,
Anno 1665.



Kapsel 78 L 1266 [4]

AK
6/5
9



OS I. SO



C.

C. C.

TRACTATUS
HISTORICO-CHRONOLOGICI,
DE
Variâ computandiratione ævum hujus Universi,
DISSERTATIO PRIMA.

§. I.



Um æterno illi & infinito DEO, juxta decretum immensæ sapientiæ suæ, placuisset, bonitatem suam communicare cum aliis, prodiit ex luce incomprehensibili, & VERBO VIRTUTIS suæ Universam hoc cum omnibus, quæ in eo continentur, ex nihilo condidit. Cœperunt tunc omnia ea, quæ esse acceperunt. tam invisibilia, quàm visibilia. Adeoq; ipsum tempus, quo nihil in his omnibus antiquius, principium habuit suum.

§. 2. Etenim cùm antea nihil uspiam fuisset præter ipsam æternitatem, Eumvé, cui omnia simul sunt, nec temporum intervallis distinguuntur, DEUM ÆTERNUM: Nunc Finitis rebus creatis, quæ variis vicissitudinibus sunt subjectæ, ipsum quoque tempus, juxta quod alia sunt priora, alia posteriora, suum initium eò derivat.

§. 3. Omne autem Mundi ævum, quod jam inde à Creaturarum ortu ad succedentes sese protendit ætates,

A 2

quod-

quodq; deinceps fluet tempus, ad communem usque orbis consummationem, non uno modo, sed variè distribunt rerum & percontatores & admiratores. De horum opinionibus, sententiisvè, nunc ex ordine, quo nihil utilius, nihilque pulchrius est, ut *in Oeconomico* scribit Xenophon, apud illa Attica, tractandis convenientissimo, quædam libet dicere.

Tu Deus adspires felici sidere cursum!

SYLLOGE PRIMA.

*Rationes priscorum tam Poëtarum, quàm Philosophorum
& sapientum nonnullorum, tempora spectandi, recensens.*

§. 4.

A Pud Poëtas mira leguntur, quæ de quatuor Mundi ætatibus maximoperè decantatis, AUREA videlicet, ARGENTEA, ÆREA, ac FERREA, Hesiodus *lib. 1. Oper.* & Ovidius *lib. 1. Metamorph.* obtentu aliquo speciosò perhibent.

§. 5. *ÆTAS* illis aurea dicitur Poëtarum Interpretibus, quòd posterioribus seculis comparata non secus atque aurum inter metalla effulserit. Mystagogi hanc ætatem ad primam Mundi periodum referendam esse docent. Ab institutæ, ajunt, naturæ incæpit cunabulis, seu generis humani primordiis. A felici nimirum innocentia statu, in quo Protopatres nostri conditi fuere. Tum quippe cornucopiæ, seu, optimarum rerum in terris & quorumvis bonorum abundantia fuit, cunctorum verò malo-



malorum inſcitia. Tum *in animis* hominum viguit lux & ſapientia, in vitâ juſtitia & ſtudio pietatis, *in corporibus* ſanitas, robur, vivacitas, frugalitas. Tum rationes quærendi victum faciles & expeditas ſe ſe præbuere, terrâ ultrò largiterque fruges ſuas miniſtrante. Denique pax, tranquillitas & ſecuritas ſumma tum extitit. Legatur D. Auguſtin. *lib. 14. de Civit. DEI cap. 18. & 26.* Qua de ætate Ovidius *lib. 1. Metamorph.* ita canit eleganter:

AUREA PRIMA ſata eſt ÆTAS à Numine Summo.

Sponte ſua, ſine lege, fidem, rectumque colebat.

Pana, metusque aberant, & erant ſine Judice tuti

Mortales læta peragentes otia vitæ.

Ipoſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis

Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus.

Contentique cibus nullo cogente creatis,

Arbutos fetus, montanaque fraga legebant.

Per erat æternum, placidique tepentibus auris

Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

Flavaque de viridi ſtillabant ilice mella.

§. 6. ARGENTEA ÆTAS appellationem huiusmodi ideò ſortita eſt, quòd defecerint primi homines à priſtino integritatis ſtatu. Equidem poſt lapſum bonitati & præſtantiæ rerum terrâ nascentium ob divinam imprecationem haud parum deceſſit. Corporum vigor, robur & valetudo ſenſim imminui, labefactari morbis, ab æeris injuriis impeti, ſenioque langveſcere cæpit. Vita ſuis limitibus erat definita. Natura ipſa, quæ prius felicitatis humanæ famula videbatur, vindicis iræ Dei miniſtra facta eſt. Comparatione tamen ſequentium ſeculorum, mi-

nus creditur difficilis, minusque extitisse vitiosa. Nullò quippe principatu despotico in orbem adhuc invento, imperia paterna tantummodò & domestica vigeant. Pectoribus nondum inhæserat indomita illa regnandi cupido. Communes tum ac nullis designatæ limitibus agrorum possessiones, quemadmodum cælum & aër, ita terra & aqua omnibus ex æquo patebant. Rarior divitiarum amor, cum in usu æs signatum extaret nullum. Victum terræ nascentia præbebant & lactinia. Domus minimè ornata luxuque insignes erant, sed vel cryptæ montium, vel cava arborum ligna, vel id genus alia præstò. Vestes non pretiosæ, aut paratu difficiles, sed simplices, facilesque ex latis arborum foliis primùm, deinde ex inconcin-natis animantium pellibus parabantur. Bellatunc non ignota modò fuisse ajunt, sed ne cogitata quidem. Omnimodam homines tranquillam ac frugalem vitam ruri-tum egere. Vid. Matth. Chefneux, Aug. Leod. *Specul. Chronograph. lib. 1. cap. 7. fol. 50.* Qui de eâ sic cum Poëta ludit,

Postquam terrigenis Paradisi sede fugatis,

Sons jam mundus erat, subiit argentea proles

Auro deterior, fulvo pretiosior ære.

Nam DÈus antiqui contraxit tempora veris,

Perq̄ hyemes, æstusq̄, & inaquales autumnos,

Et breve ver, spatium exegit quatuor annuum.

Tum primùm siccis aër fervoribus ustus

Canduit, & ventis glacies adstricta pependit.

Tum primùm subiere domos, domus antra fuerunt,

Et densi frucices, & juncta cortice virga.

§. 7. ÆREA tunc inagnas accepit ÆTAS vires, cum im-piorum soboles ingenio, potentiâ & viribus invaluere, constructis oppidis, metallis effosis, invento artium me-chani-

chanicarum, puta architecturæ, fabrilis, lanificij usu, excogitatis etiam sensuum illecebris, uxorum pluralitate & Musicâ, repertis demum armis ad vim tum inferendâ, tum propulsandam. Et tunc beatiorum vitam excepit ævum infelicius paulatim magis magisque à se ipso degenerans & semper in deterius vergens. Duravit per multas annorum centurias. Quam modulando in hunc modum non nemo Poëtarum delineans scribit;

TER TIA post illam successit AHENEA proles,
Savior ingenis, & ad horrida promptior arma,
Nam tum precipites cinxerunt oppida fossa,
Tunc tuba directi, tunc aris cornua flexi,
Tunc galea, tunc mucro fuit cum militis usu.

§. 8. QUARTA dicitur FERREA ob animorum atque cordium duritiam, morum pravitatem, effrænam dominandi libidinem, bellicam oppressorum libertatis humanæ audaciam, devastaciones terrarum horrendas, malitiam denique ad ultimum hominum interitum ingravescentem. Cui ætati admodum quadrare videntur ista;

————— De duro est ultima ferro.
Protinus irrupit vena peioris in ævum.
Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque
In quorum subiere locum fraudesque, dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.
Nec tantum segetes alimentaque debita dives
Poscebatur humus, sed itum est in viscera terra.
Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat umbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum quod pugnat utroque.
Vivitur ex raptis, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: Fratrum quoque gratia rara est. *Ime*

*Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita noverca.
Filius ante diem patrios inquirat in annos,
Victa jacet pietas, terrasq; astra relinquit.
Catera vis verbo referam? Tota illa propago
Contemptrix Superum, saevaq; avidissima cadis
Et violenta fuit, submergi digna sub undis.*

§. 9. Quæ sanè ex sacris narrationibus vel lectis, vel antiquâ traditione & famâ vulgante acceptis, vel Hebræorum conversatione haustis subodorari potuerunt Poëtæ. Leg. Joseph. lib. 1. contra Appionem. Justinus Martyr in *Paranesi ad Gentes*. Origines lib. 4. contra Celsum. Et quia iidem Poëtæ ferunt, Saturno Principe *seculum aureum* floruisse, hinc esse volunt, quòd quatuor illa mundi secula, quatuor metallorum nominibus insignita reprehendantur.

§. 10. Præterea proditum est memoriæ, quosdam Veterum tempora Mundi secundum *præcipuas hominis facultates & vires* dispescere consuevisse. In homine enim, ajunt, *triplex datur Principale*. Unum τὸ ἡγεμονικὸν, in quo sit ratio, seu vis rationalis. Alterum τὸ θυμικὸν, in quo prævaleat animositas & fortitudo. Ultimum, τὸ ἐπιθυμητικὸν, quod indulgeat actionibus remissioribus. Ita quoque tres occurrant hujus Universi ætates. Quarum *prima* illis est ἡγεμονικὴ *docilis*. Initio namque sapientia perhibetur in terris præcipuè regnâsse & excelluisse, cum artes inventæ sunt, & gubernatio adhuc *paterna* fuit, plena prudentiæ, justitiæ & autoritatis. Accedit ex mente illorum *ÆTAS* Mundi *Secunda*, θυμικὴ *actiuosa*, in qua excelluit fortitudo bellica, & per hanc Imperia constituta sunt. In hac ætate complectitur Joannes Carion lib. 1. *Chronicor. parte 1.*

pag.

pag. 15. b. quatuor Monarchias, ita quidem, ut initium sit à Nimroth usque ad Julium Cæsarem. Post hunc secuta senectus valdè morosa, in qua ἐπιθυμητικὸν languidum fuit imperium. Etsi enim, ut ait Carion, loco laudato pag. 16. a. in postrema senectâ multum est bellorum, res tamen non geritur simili vigore animorum & labore. Ita paulatim languescere naturam consideremus, & cogitemus, multa deliria in Ecclesiâ & Imperiis sequutura esse. Hæc ille

§. 11. Romanorum doctissimus Varro non minus, alio tamen ductus atq; instructus argumentorum genere, Tria constituit, prout in vulgus sparsum est, dimensionum intervalla. Primum nempe ab exordio hominum ad Ogygis diluvium ἀδελφὸν ob Scriptorum suæ Gentis inopiam appellat incertum. Alterum à dicto diluvio ad initium Olympiadum, μυθικὸν eâ de causâ vocat fabulosum, quia plurima illius facinora, fabulis, & næniis, & ineptiis omnifariam respersis fuere oblitterata. Ultimum verò à primâ Olympiade ad suam usq; memoriam, eamq; subsequuturam, ἱστορικὸν quòd inclaresceret certioribus rerum gestarum enarrationibus, HISTORICUM, jure quodam nuncupabat,

§. 12. Commemoravimus ex Varrone diluvium Ogygis, quo de illisque quæ ejusdem generis sunt, heic nonnulla adjicere, non omninò frustraneæ existimamus fore operæ. In Atticâ Eleusinâ magnum contigit olim diluvium, Ogyge indigenâ regnante, unde & Ogygium dicitur. Tempore Ogygis, inquit Eusebius, qui in Attica Eleusina quæ antiquitùs vocabatur ACTA, regnabat, & aliis Civitatibus plurimis, cujus temporibus apud lacum Tritonidem virgo apparuit, quâ Græci Minervâ nuncupaverunt, inundatio fuit. Ogygius, ut Strabo scribit,

M 9

in ACTA regnavit & Beotia, quæ ante Cecropem Ogygia est nominata, quem quidam Autorem faciunt Thebarum Bæoticarum, unde Ogygia ingenia dicta sunt Thebana, & vulgo Eleusina in Attica ac indigena existimatus est, cum genus aliunde ignoretur, à cujus temporibus ad primam Olympiadem anni computantur plus paulo quàm mille ab Hellanico, Philochoro, Thalo, qui Syriaca scripserit, & communi ferè Græcorum summâ. Etenim Africanus apud Eusebium, *lib. 10. de prepar. Evang. cap. 10.* autor est, diluvium illud Ogygium incidisse in annum millesimum & vigesimum ante principium Olympiadum, qui & sententiæ suæ laudat dictum Hellanicum atq; Philochorum, rerum Atticarum Scriptores, Thallum item & Castorem, Diodorum Siculum & Alexandrum Polysthorem. Ab Acusilao proditum est idem, quanquam alij duobus circiter ac viginti annis tardius referant, ut adnotat Dionysius Petavius Aurelianensis *lib. 2. Rationarij Temporum. part. 2. cap. 5. pag. 93.* Confertur in Eusebij *Chronico* ex editione Pontaci ad annum Abrahami ducentesimum quinquagesimum quartum. Ex Acusilai autem calculo Jacobi Patriarchæ tempore evenit, annis ante Christum natum 1795. post Noëmeticum. 532. Et quidem circa illa tempora incidisse videtur D. Quistorpio, quibus benedictionem à Patre Isaaco Jacob impetravit. *In Annotation. Biblic. V. T. ad v. 11. Gen. cap. 7. pag. 22.* Dionys. Petavius, quinto ab Isaaci morte colligens, *Lib. 1. Rationar. Tempor. part. 1. cap. 1. pag. 15.* ad illam sententiam proximè accedit, quam cæteris probabiliorem esse existimamus. Consentire eidem videtur & Orosius, qui *lib. 1. cap. 7.* de istho diluvio ita scribit; *ante annos Urbis (Romæ) condita mille & quadriginta, in Achaia se-*
vum

vum diluvium, vastatione plurimâ totius pene Provincia fuit, quod quia Ogygis, qui tunc Eleusinae conditor & Rex erat, temporibus effusum est, nomen loco & tempori dedit. Porphyrius in 4. advers. Christian. lib. Ogygem rege Inacho fuisse scribit, quem sequutus Africanus Mosen Ogygi æqualem facit, cum sit multò minor, Johan. Ludovico Vive rectè mone, in Commentar. ad lib. 18. Augustini de Civ. DEI. cap. 8. fol. 562. Tom. 5. Oper. D. Longiùs quoque quàm par est Jacobus Salius à sententiâ consonantiori abit, cum Ogygiam eluvionem relegat in primum annum Joathan, Regis Judæ, ut legere est in Epitom. Annal. Ecclesiastic. V. T. ad an. Mundi 2258. fol. 126. b.

§. 13. Posterius Ogygiò rectè scribitur diluvium Deucalionum, quamvis admodum dissentiant Authores, quotum temporis interceserit utrumque. Eusebius refert in annum Moysis sexagesimum septimum, & inter eluvionem illam Ogygiam & hanc Deucalionis centum & septuaginta numerat annos. Vetus autem apud Cedrenum scriptor annis 248. Ogygium diluvium anticipasse ait Deucalionem inundationem. Solinus multò plures prætendit annos, qui sic scribit: *Inter Ogygium sanè & Deucalionem medium ævum sexcentis annis datur, &c.* Chronologus, qui ex Arundellianis marmoribus apud Smyrnam effossis non ita pridem editus est, ut accepimus per Dionysium Petavium, lib. 2. Rationar. Tempor. part. 2. cap. 9. pag. 119. quiq; scripsit anno primo Olympiadis 129. eo ipso videlicet anno, quo bellum primum Punicum cœpit, Deucalionem diluvium confert in annum mundi 2455. Vetus verò ille apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromat. Auctor, Deucalionem diluvium antecessisse docet exidium Troje annis

trecentis ac triginta, quare, cum anno Mundi 2800, ut præsupponit Petavius *d. loc.* everfam esse Trojam asserant, concedantvé, consequens erit anno Mundi 2470. diluvium illud incidisse, regnante Athenis *Cecrope*, primo illarum Rege. At Apollodorus *l. 3.* sub Eius successore ponit *Cranao*, qui sex annis postea regnavit. Jacob. Salianus in an. Mundi 2530, collocat. *Epitom. Annal. fol. 227. a. conf. fol. 193. b. ad ann. Mundi 2530.* Quidam volunt contigisse sub Deucalione viginti circiter annos *ante educationem* populi Israelitici ex Ægypto. Contra Petavius ex præsuppositis concludit, quòd haud longo tempore *post demigrationem* Hebræorum ex Ægypto diluvium istud evenerit. *d. lib. 2. Rationar. part. 2. cap. 9. pag. 119.* Difficilius has Autho- rum disconvenientias inter se, quam disjunctissima Romæ, Lutetiæ Parisiorum, Londini, Amstelodami, Madriti, Fridericiburgi Danorum, vel Norinbergæ, vel Lubecæ, vel Hamburgi, vel Dantisci, vel quæ alibi locorum sunt in orbe celebrium, à me, jamjam recensita, præter Romanum & Londinense, haud sine admiratione perspecta, nonnunquam etiã, cum se mihi jucunditati darent, avidè modulantia sonos, audita atq; percepta, conciliaveris horologia.

§. 14. *DEUCALIONIS* eã de causã dicitur, quòd *circà Parnasum* montem, ubi olim imperabat *Deucalion*, maximè accidit, cujus consilio multi tunc in monte illo sunt conservati. Sic passim Pausanias *diluvium Deucalionis* commemorat *In descriptione veteris Græciæ. lib. 1. pag. m. 70. num. 20. lib. 5. pag. 278. n. 10.* Vestigia istius eluvionis prodit *lib. 1. pag. 30. num. 30.* De reliquiis ejusdem, *lib. 10. pag. 565. num. 30.* ita disserit; *Eregerunt de sacrâ pecuniâ Amphictiones, cujus operis architectus fuit Spintharus Corinthius.* Vetustissimam,

simam sanè urbem olim eodem in loco à Parnasso conditam tradunt. Cleodore Nympha hunc filium fuisse, cui, sicuti & ceteris Heroibus, è Diis patrem Neptunum, ex hominibus Cleopompum attribuunt: Et ab eo cum montem Parnassum, tum SALTUM PARNASSIUM nominatum. ab Eodem præterea Parnasso inventam affirmant ex avium volatu futurorum prædictionem: Urbem verò ab ipso conditam, imbris deletam DEUCALIONIS temporibus. At tunc quidem, qui aquarum vi oppressi non fuere, luporum ululatum secuti, feris ducibus ad Parnassi juga confugerunt, ut vulgatus est sermo, alius verò ab hoc diversus: Quare, quam illic urbem insinierunt, Lycoream vocarunt. Hæc Pausanias.

§. 15. Immisum, ajunt, à Jove illud diluvium, ad restinguendum incendium à Phaëtonte excitatum. Sic nos docent scripta eorum, qui unum æquè alterum simul tradunt. Clemens quoq; Alexandrinus lib. 1. Stromat. S. Cyrillus lib. 1. contra Julianum, Paulus Orosius, utramq; cladem coniungunt, æmulatores, ut videntur, Hygyni & Arati, vetustissimorum Poëtarum.

§. 16. Contigit & diluvium sub Dardano, circa tempus Mosis, rebus at jamdum erepti humanis. Quod cum cæteris describit Nonnus, lib. 3. Dionysiac. atticis Sans, cujus verba è Græco translata non nemo Latinus Interpres ita reddit;

Primum enim expertus est resonantem imbrem ruri

Ogygus sublimem per aquam aethera mittens,

Terra cum abscondebatur tota obruta, suprema verò petra:

Thesalica regebantur, & in alto Pythias summa.

Nubibus vicina nivali fluxu fluctuabat petra.

Altera pluvia erat, cum circularis ambitum terra:

Fluctu insano abscondebatur infeliciter ningens aqua:

B 3

Deu-

DEUCALION cum solus Comes cum coeva Pyrrha
 Pereuntium baminum in navi cava secans
 Fluctum revolutum nulla conjectura comprehensibilis pluvia
 Aëris aquosi in gyrum traiciebatur nauta,
 Et Tertia Jovis pluvia, cum terra obruit fundamentum
 Et scopulos abscondit. At boniadi & ipsius
 Non irrigua Sithonij abscondebantur dorsa mentis.
 Altigrada tunc fluctum seindens pluvia,
 Dardanus antiquam ingrediebatur vicinam Idam.

§. 17. Ortelius depingens Hiberniam, de Erno lacu, in
Theatr. orbis, ad Tabul. 10. commemorat, quod olim fons
 fuerit, sed ob incolarum nefanda facinora, DEO quidem
 irato, in tantam aquarum diluviem erupisse, ut totum e-
 um tractum cultissimum cum hominibus inundatione
 submerferit: Atque in rei gestæ veritatem sereno tem-
 pore etiamnum *Templorum turres sub undis hinc inde conspici.*
Terram, inquit Giraldus, tam turpium contra naturam fa-
cinorum consciam, non tantum primis, sed cunctis impo-
sterum habitatoribus indignam Auctor naturæ judicavit. Si-
 miles clades ex inundatione factas lege sis apud Philip-
 pum Camerarium, *Centur. 1. Meditation. Historic. cap. 81. pag.*
276. Omnium autem maximum illud fuit diluvium, in
 quo, Noe tempestate, nulli homines, ut *Sacra pagina monet,*
 evaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt. Vid. Augustin.
lib. 18. cap. 7, de Civit. DEI. Tom. 5. Oper. fol. 559. Irruisse uni-
 versale illud diluvium scribit Magnus Aurelius Cassiodo-
 rus in *Chronico ad Theodoricum Regem, Oper. Politic. pag. m. 674.*
 Cujus nonnulla memorabilia adnotavimus in lib. nostro
de SACRIS & sanctuariis Patriarcharum.

§. 18. TALMUDISTÆ quidem Mundi decursum ita quo-
 que

que dispescunt, ut *tria* constituent ejusdem climata: Sed longè aliâ moti ratione ac Marcus Terentius Varro, Romanorum eruditissimus, Lingvæ Latinæ & rerum Græcarum & omnis antiquitatis peritissimus, Quintiliano *lib. 10. cap. 1.* & Lactantio *lib. 1. de falsâ religion. cap. 6.* præconibus, aliis à Varrone Atacio, ut remonstrat celeberrimus Gerhard. Johan. Vosius *lib. 1. de Historic. Latin. cap. 16.* quem scripsisse ad octuagesimum quartum ætatis suæ annum quadringentos & nonaginta libros, discimus ex Gellio *lib. 3. cap. 10.* quo de Augustinus *lib. 6. de Civ. Dei cap. 2.* Varro, ait, tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quàm multa vix quenquam legere potuisse credamus. Illam Talmudistarum quemquam heic celare nolumus a vitam fidem, sed exponere oratiùs disertatione subsequenti.

DISSERTATIONIS I.
SYLLOGE SECUNDA,

*Evolutioni Traditionis famigeratissima Eliano-
Rabbinica SACRA.*

§. 19.

IN quartâ parte TALMUD de duratione Mundi, *lib. 2. de SENATORIBUS & JUDICIBUS*, quos Judæi corruptâ voce סנהדרין dicunt SANHEDRIM, D. Salom. Gesner. *in Prefation. lib. 1. de Conciliis pag. 2.* interdum etiam סנהדריות SANEDRIOTH, item סנהדרות, *Sanedrotb*, & per *apocopen סנהדרין Sanhedri*, Vide sis Gemar. Babylon. *ad tit. SANHEDRIN. cap. 1. fol. 142.* Jonath. Targ. *Numer. 25. 7.* Eliam *in סנהדרין angel. Caninium in Locis N. T. cap. 7. J. Drus. ad dif-*

difficil. loca Numerorum cap. 48. Serrarium in Rabbin. priore cap. 18. & Buxtorff, Lexic. Talmudic. col. 1509. & 1513. licet Magistrorum aliqui vocis hujus originationem Hebraicam esse obtendant, ut in Pesiktha Zotertha fol. 45. col. 3. & Obadiah Bartenorius ad tit. Sota, cap. 9. §. 11. receptatamen è Græcismo est in Hebraismum, quod probatum ivit luculenter vir incomparabilis & obstrusorum Rabbinicorum sedulus indagator Joannes Seldenus lib. 2. de Synedriis veterum Ebraorum cap. 4. pag. 6. & 8. Vid. & de Sanhedrim Petr. Gregor. Tholozan. lib. 4. de Republic. cap. 5. pag. 105. num. 28. Benedic. Aretij Problem. Theol. pag. 356. D. Danhawer. Dram. Sac. act. 1. Theat. 1. Phenom. 2. pag. 64. Joan. Funger, Lexic. Philol. in eand. voc. Ludovici Cellotij lib. 2. de Hierarchia & Hierarchis. fol. 99. Capite CHELEC ejusd. lib. 2. Talmud. quod, ut incipit, inscribitur, TRADITIO DOMUS ELIÆ, Haboda Zara fol. 9. a. hæc leguntur;

תנת דבי אליהו ששז אלפים שנה חוי העולם שני אלפים
תורה שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשוה :

Tradiderunt, quæ sunt de domo ELIÆ; SEX ANNORUM
MILLIA MUNDUS EST: DUO MILLIA INANE: DUO MILLIA
LEX: DUO MILLIA dies MESSIÆ.

Legitur eadem Traditio verbotenus translata apud
D. Christianum Schotanum in Bibliotheca Historia Sacra post
prefationem ad Lectorem. Nonnulli ex Libro HAVODA
ZARA, quod est, SERVITUS ALIENA, cap. EDEHEN LIPHUNE,
i. e. ANTE FESTA EORUM, rem ita exponunt; Dixit do-
mus Eliæ, SEX MILLIA ANNORUM durarionem fore hujus
Mundi, horumque duorum millia esse vanitatis, duo millia
Legis, & duo millia dierum Messie.

§. 20.

§. 20. Et hanc sententiam, quò plus habeat authoritatis & fidei, è Scholâ *Elie Prophetæ* promanâsse ajunt ad posteror. Quidam Talmudistarum contendunt, tradidisse illam quendam ELIÆ discipulum, prout ab eodem accepisset, unde & *TRADITIO ELIÆ DISCIPULORUM* dicta sit. Præprimis hoc nomine fertur *FILIUS MULIERIS SAREPTANÆ*, quem ELIAS THESBITES ille ex inquilinis Gilhadis, Vates admirabilis virtutis, vocisq; attonitantis, excitaverat à mortuis. Verumenimverò ex ipso Talmud constat, Traditionem Eliæ alicujus esse Rabbini, qui annis ducentis ante Christum natum vixisse scribitur, prout haud obscure innuit Sanhedrim *fol. 97.* Rosch Haschana, *fol. 31.* nec aliter Zemach David, *fol. 35.* Statuimus itaq; cum Dressero, Rabbini esse assertionem alicujus sapientis, qui secundum illud, quod Moses scripserit, DEUM *sex dierum spacio* absolvisse opus totius creationis, *Gen. cap. 1.* coram Domino autem mille anni sint tanquam *dies* hesternæ, quæ præterit, ratiocinatus, sex millibus annorum duraturum esse mundum & postea quietem æternæ refectiois subsequaturam. *Millenar. 1. pag. 5.* Sic & Cl. Vosl. per ELIAM, cui illud dictum tribuitur, non *Eliam Thesbitem*, sed alium quendam intelligit, qui ipsi videtur vixisse tempore Templi secundi. *Mag. Chronol. Dissert. 1. de distributione omnis ævi. cap. 3. pag. 9.*

§. 21. Per glosam aliquam Eliæ istius mentem interpretari sategit Rabbi Schelomo & per calculum suum retexere sex millium abscondita: Errâsse verò eundem in annorum computatione ipsi Talmudistæ Eliani haud dissimulant. Interea sententiæ ipsius Eliæ constanter inhaerent, & juxta illam tres numerant Mundi periodos duraturi, *INANITATIS, LEGIS ET MESSIÆ.*

C

§. 22.

§. 22. Incipit, quæ *PRIMA ÆTAS LEGIS*, cum ipsa origine mundi & usque Abrahamum sese extendit. *Altera* ab Abrahamo filium ducit ad Christi adventum. *Postrema* tribuitur *MESSIÆ* Redemptori perpetim regnatura.

§. 23. *INANITATIS* tempus vocant eò, quòd humanum genus nullam aliam tunc præter *NATURÆ LEGEM* habens, *inane* & vacuum *ab omni lege scriptâ* per ea tempora vixerit. Alia autem duo annorum millia *LEGIS* nuncuparunt, non quidem propterea saltem, quia, ut dixit R. Selomo in *Glosa*, Abraham in principio eorum Legis studio vacare cœpit; sed, quia idem Abraham eo ferè tempore, *Circumcisionis legem*, initiationis Sacramentum accepit, ac potissimum hac de causa, quia illa tempora *LEX data* in Sinai, *solemniter publicata* & promulgata fuit. Cætera duo millia *MESSIÆ*, quòd Ipse in fine quatuor millium Mundi annorum veniat, cujus iudicium sit, ut evacuetur regnum nequitiz. Petr. Galatino interprete *lib. 4. de arcanis Catholicae veritatis cap. 20. col. 255. B. C. & col. 258. A. B. C.*

§. 24. Qui *MESSIÆ* adventus accelerari quidem potuit secundum doctrinam Talmudistarum, retardari verò minime, ut in libro *SANHEDRIM*, capite *HELEC*, clarè notatum est. *אמר רבי אלכסנדר*

Dixit Rabbi Alexandri, dixit Rabbi Jehosuas, filius Levi, scriptum esse *Isaie sexagesimo capite* (de salvatione scilicet, quæ per *Messia* adventum futura erat) *EGO DEUS* in tempore suo *ACCELERABO* eam: Si non meruerint, *in tempore suo supplefaciam eam*. Ex quibus inferunt Rabbini, quòd *MESSIÆ* adventus minime *retardari* poterat, quin in tempore suo esset; Sed *accelerari* quidem bene potuisset, dummodò *existerent*, qui *accelerationis gratiam* mererentur.

LUF.

tur. Item super eadem verba Esaiæ אֲנִי יְהוָה בְּעֵתָהּ אֲחִישְׁנֶהָ
Hor est; EGO DEUS in tempore suo *accelerabo eam* scilicet
 redemptionem. פֶּרֶשׁ. PERUS. id est, *Glossa* ita dicit:
 Si fuerint boni, ante tempus ejus mittam: Sin autem, in
 tempore suo veniet. Et *Glossa* ista secundum Hebræorum
 Doctores de *SALVATIONE per MESSIAM* faciendâ loquitur.
 Ergo, si *Judæi boni essent*, propter eorum bonitatem, ut au-
 tumant, DEUS adventum *Messia* accelerare debuisset: Si
 autem *mali*, propter eorum peccata tamen non præter-
 mittendum, quia ipsum tempore suo aliàs determinato
 mitteret, ut R. Jochanan ingenuè fatetur nec malè infert.
Leg. Schemoth Rabba cap. 25. Similiter & R. David Kimhi in
Psal. 108. v. 5. Quare necessario *Judæi* his convicti conce-
 dere debent, *MESSIAM*, peccatis eorum non obstantibus,
 tempore suo determinatò jam venisse, postquam quatuor
 Mundi millia *INANITATIS ET LEGIS* jamdudum delapsa
 sunt. Consul. Christiani Gerson. *lib. 3. Talmud. cap. 7. pag.*
329. & pag. 331.

§. 25. Perquàm *gratiosum* fore *MESSIÆ* adventum repa-
 randæ salutis causâ accelerandum, quem sperabant post
 quatuor mille annos à Mundi creatione, ut *DOMUS ELIÆ* tra-
 diderat, affuturum, illi ex priscis Hebræorum Rabbini-
 agnoverunt, qui tempus, proximè accedentes ad ejusmet
Eliz sententiam, distinxerunt in *Secula NATURE, LEGIS &*
GRATIÆ, quam demum insequetur *REGNUM GLORIÆ &*
quietis sempiternæ, in fine seculorum. Natth. Chefneux,
Aug. Leod. in speculo Chronograph. Prolegomen. 2. fol. 3.

§. 26. Sic enim censent quidam illorum: Quia *sex die-*
bus Mundus fit creatus à Deo, & *septimo die* quies à *DOMINO*
 instituta, fore, ut *sex annorum millibus* maneat hæc Mundi fa-

cies, septimo autem ineunte millenario desinat demum & conquiescat. Hoc ut affirmant, eò adducuntur, quòd Psalmo nonagesimo dicatur; *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternæ, quæ præterit.* Rab. Ketina inquit; *SEX millia annorum durabit Mundus & deinde vacabit,* ut scriptum est *Esa. cap. 2. v. 11. 17.* Editus erit JEHOVA solus die illa. *Abajaajebat; FIET,* ut dictum est *Hos. cap. 6. v. 3.* Vitæ restituet nos post biduum, die tertio excitabit nos, *Et vivemus coram Ipso.* In unâ *Bareitha* docuisse se asserunt, quemadmodum Rab Ketina docuerat. Lib. *Sanbedrim, capite Chelec.* Et dictum est *Psal. 92. v. 1.* **PSALMUS ET CANTICUM IN DIEM SABBATHI.** In diem videlicet, qui *Sabbatum* erit perpetuum. De his qui plura scire expetit, adeat Pugionem Martini Raymundi. *part. 2. cap. 10.* Petr. Galatinum *lib. 4. de Arcanis Catholicæ fid. cap. 20.* Christian. Gerson. *Explic. part. 4. Talmud. lib. 2. cap. Chelec. pag. 107. v. Germ.* Et *lib. 2. Talmud cap. 7. pag. 328.* Joh. Buxtorff. *Synagog. Judaic. cap. 50. pag. 707. seq.*

§. 27. Sententiam quidem *Rabbinicam Elianam* Matthæus Beroaldus vult explosam, quam de vanitate argui scribit. *lib. 2. Chronic. Sac. script. cap. 3.* At quia *pag. 81. ejusd. Chronic.* ipse fatetur, *veritatem illius Traditionis Elianæ facere & valere ad Judæos, qui eâ utuntur, convincendos, ac convertendos, propter hoc solùm eandem retinendam esse existimamus, nihil absurditatis præ se ferentem.*

§. 28. Et profectò magni nominis Viri decantatam hanc Eliæ, Rabbinum Sapientis, Talmudicam de duratione Mundi Traditionem tanti pendunt, ut illi rerum commemorandarum felices Instauratores juxta eandem non dubitent Historiam omnem hujus Universi per concinnos millenarios dispertire.

§. 29. **Præfigit Chronico suo Millenario D. Martinus Lu-**

Lutherus, *Megalander* toties, quoties placuit, à præclaris-
simis Theologis dictus, Traditionem *Eliano-Rabbinicam* or-
dine hoc integro.

SUPPUTATIO
ANNORUM MUNDI.
Anno M. D. XLI.

Dictum eorum, qui dicebantur de *DOMO ELIÆ PROPHETÆ*.
Burgens. parte primâ. distinct. 3. cap. 4. Scrutinij.

SEX millibus annorum stabit Mundus.

Duobus millibus inane.

Duobus millibus Lex.

Duobus millibus *Messiah*.

Isti sunt *SEX DIES* hebdomade coram DEO.

SEPTIMUS dies *SABBATUM* æternum est.

Psal. 90. Et 2. Petr. 2.

MILLE ANNI SICUT DIES UNUS.

Tom. 4. Jenens. Latin. fol. 673. b.

§. 30. Nec minus alii intendunt eadem. Videlicet *Johann*
Carion, Mathematicus insignis, in *Chronico*, quod instar om-
niū esse videtur, quodq; *Hermannus Bonn⁹*, Ecclesiastes
quondam *Lubecensis*, Latinitate primò donavit, deinde
Philip. Melanth. ad se, ut emendaret, missum, retexit, eo
verò defuncto ipsius gener, *D. Casparus Peucerus* ad sua
usq; tempora feliciter continuavit, quin imò quod *primum*
& *optimum* Lutherus, Magnus ille Heros, de prædicat exem-
plum *supputationis*, in quo pulcherrimè totus, ut scribit *Tom. 4.*
Jen. Lat. fol. 674. annorum cursus in *Sex Millenarios* distribu-
tus est, æmulatorem se istius Traditionis præbet interpre-
rerum à Mundi conditu gestarum, *lib. 1. Chron. Philippica re-*
ensionis, pag. 6. Et continuationis *Peucerianæ* in *præfat. fol. 19.*
Sequitur Eandem *Reusner. Isagog. Hist. p. 15. & 17.*

§. 31. Præprimis suam commodat operam explicatio-
ni famigeratissimæ illius sententiæ Elianæ Matthæus
Dresserus in *Millenar. 1. Magog. Histor. part. 1. pag. 3. seq.* In
hoc, inquit, Vaticinio distribuitur totius Mundi tempus in
tres principales partes sive terminos, quorum primus com-
plectitur tempus *inanitatis*, secundus est *legis*, tertius demum
Messia. Sed cur *inanitas* tribuitur duobus primis millena-
riis? Inane vel vacuum appellatur hoc bene longum tem-
pus, quòd *neq. doctrina de Deo literis mandata*, neque Lex
scripta aut promulgata fuerit, sed omnis doctrina de reli-
gione & moribus *vivâ voce*, mutuisque sermonibus inter
homines tradita atque communicata sit. Vel *vacuum* di-
citur hoc Mundi tempus, quòd nondum *Legibus certis con-*
stituta & definita fuerit *Politia* in populo Dei, ex qua nasci-
turus erat Messias. Sequentibus *duobus millenariis* assi-
gnatur *LEX* iccirco, quia in hoc temporis spacio *Lex* certa
est lata, & *in tabulis*, librisq; exarata. Nam Abraham ac-
cepit *Legem de Circumcisione*, quæ separavit populum Dei
à reliquâ turbâ, seu colluvione hominum. Mose verò
duæ Tabula Decalogi scriptæ atque notatæ sunt traditæ, tum
ceremoniæ, ritusq; Ecclesiastici, & *jura fori præscripta* sunt,
quibus universus Dei populus ad obedientiam certam
obligatus est. Reliqui *duo millenarij* tribuuntur *MESSIÆ*,
quòd illo tempore *natus sit Messias & regnum suum Spiritua-*
le inchoarit per vocem Evangelij sonantem in universo terrarum
orbe. Hactenus Dresserus.

§. 32. Secundùm interpretationem Cl. Gerhard. Joh.
Vossij, Traditio Eliana duos primos Mundi millenarios
per *INANE* indigitat, quod ante conditam Babylonam ma-
xima longè mundi pars esset *VACUA*, propterea quod non-
dum

dum dispersæ fuerant Gentes interras varias, longeq; distitas. Proximi *bis mille* anni LEGIS dicuntur, *Circumcisionis* scilicet Abramo latae. Reliqui *MESSIAE*. Qui & eandem Rabbi sententiam ita effert, ut asserat; annos *bis mille* esse ante promissionem Abrahamæ factam: *Bis mille* verò sub promissione. Et *bis mille* denique post completam promissionem. *Isagog. Chronol. Sac. disert. 1. cap. 3. pag. 8. 9.*

§. 33. Illustratur egregiè Traditio Eliana calculo Petri Galatini, millenariorum, à Mundi initio usque ad Christum passum & pro peccatis hominum mortuum, congruam seriem necentis. Anno igitur, inquit, *decimo quinto* Mundi Adam genuit Cain, & *trigesimo* Habel. Anno verò 100. Mundi Cain occidit Habel, & tunc natus est Seth. Seth autem anno 105. etatis suæ genuit Enos, qui nomen DEI invocare coepit. Enos anno 90. genuit Kenan, qui nostrà editione Caina dicitur. Kenan anno 70. genuit Mahallalel. Hic an. 65. genuit Jared. Jared anno 162. genuit Hanoeh, qui translatus est, & à nostris Enoch appellatur. Hanoeh anno 65. genuit Methuselam, quem nos corrupto vocabulo Mathusalem dicimus. Methuselas (qui plus ceteris vixit, annos sc. 969.) anno etatis suæ genuit Lamech. Lamech anno 182. genuit NOAM, cuius anno 600. factus est cataclysmus, ut per Talmudisticam Traditionem in 19. hujus libri cap. probatum est. Ex quibus omnibus secundum Hebræos à Mundi creatione usq; ad tempus diluvij colliguntur anni 1656. Sem deinde anno secundo post diluivium genuit Arpaxad. Arpaxad anno etatis suæ 35. genuit Sale. Sale anno trigesimo genuit HEBER, à quo HEBRAEI. Heber anno trigesimo quarto genuit Paleg. Tunc Nemrod, filius Cus filij Ham, Assur de terrà Senaar expulsò, primus regnare coepit. A quo & Babylon urbs & Turris in campo Senaar adificatur, & tunc septuaginta dua-

duarum linguarum facta est divisio, ut Abidenus quoque & E-
 stiaeus historici testantur. Tunc etiam IDOLOLATRIA incepit,
 cum Nemrod homines ignem adorare cogebat. PALEG
 anno trigesimo genuit REU. Reu anno vigesimo quinto genuit Se-
 rug. Serug anno trigesimo genuit Nabor. Nahor anno 29. ge-
 nuit Taram. Taras anno septuagesimo genuit Abram, anno scili-
 cet regni Nini, filij Beli secundi quadragesimo tertio. Hoc
 tempore NINIVE à NINO conditur, & BELUS secundus ab
 Asyriis pro DEO colitur. Abraham anno quinquagesimo se-
 cundo (ut ait R. Selomo) in Lege studere cepit. Et tunc se-
 cundum ipsum completa sunt à Mundi principio, duo annorum
 millia. Nam à diluvio hucusque 344. colliguntur anni. Sed
 supputatis annis mille sexcentis quinquaginta sex ante diluvi-
 um transactis, habentur à mundi initio hucusque duo mil-
 lia annorum præcisè. Decursus subsequantium duorum
 millium annorum probatur hoc modo. Ab eo tempore,
 quo Abraham, secundum R. Selomonis expositionem, legi
 studere cepit usque ad nativitatem Isaac anni fluxerunt 48. Isaac
 autem cum esset annos sexaginta natus genuit Jacob. Jacob au-
 tem, cum esset annorum centum & triginta, ingressus est Egy-
 ptum. Filij verò Israel commorati sunt in Aegypto annis 210.
 Moses rexit populum annis 40. Jehosuas annis 27. Judices gu-
 bernaverunt annis 299. Sacerdotes autem annis octoginta, com-
 putatis iis, quibus Saul unà cum Samuele regnavit. Reges verò
 annis regnaverunt 492. à David incipiendo usque ad undecimum
 Sedechix annum, qua tempestate Templi primi & Urbis Je-
 rusalem fuit excidium. Nabuchodonosor autem post Jeroso-
 lymorum everisionem regnavit annis (Secundum Talmudistas)
 viginti septem, in quo defecit Regnorum Chaldeorum. Post quem
 Regnum Persarum duravit annis 241. Nam à sui principio usque
 ad

ad vigesimum Artaxerxis Longimani annum, fluxerunt anni 115. Et deinde usque ad sextum Darij tertij annum, decurrerunt anni 126. Regnum verò Græcorum ab Alexandro Magno usque ad 22. Cleopatra annum perstitit annis 300. minus uno Octavianus autem post mortem Cleopatra, imperavit annis 43. Christus tandem anno Tiberij decimo octavo passus est. Ex quibus omnibus colligitur, ab eo, quo Abraham juxtà R. Selomonem in lege studere cœpit, hoc est, ab anno 52. Abrahamæ usque ad Christi passionem, duo millia annorum & (qui super sunt) quindecim annos decurrisse. Et tunc dies MESSIÆ, hoc est, duo millia annorum, quibus MESSIAS regnaturus erat, incipere debebant per Legis ipsius Messia promulgationem. Quibus ex omnibus palam ostensum est, secundùm veras temporum supputationes, DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM quatuor millibus annorum post Mundi creationem completis passum fuisse. Et tunc propriè inceperunt dies Regni Ejus, cum Lex (doctrina) Evangelica ab Apostolis circumquaq; per orbem predicari cœpit, mundusq; ad ipsum converti. Hæc Galatinus Exjudæus, qui propterea ista deduxit, ut per approbatas Rabbinorum scripturas, perfidiam Judæorum ævi Christiani convinceret, qui pertinaciter Messiam venisse negant. lib. 1. 4. de Arcan. Cath. verit. cap. 20. col. 257. seq.

§. 34. Plurimum ad hoc, ut Judæi moderni MESSIÆ adventum præfructè negantes prosternantur, facere videtur Sac. Script. Concensus, quem edidit Hugo Broughto-

D

MUS

aus per articulos nonnullos argumentum Sacræ Chronologiae operose tractans. Procedit verò à primâ promissione de MESSIA caput serpentis contrituro, mortemq; abolituro, ad secundam Abrahamo factam statim à morte Terachi. Ab hac gratiâ promissionis usque ad agnum, veri ac immaculati agni DEI, peccata mundi tollentis typum. Ab agno, sive exitu ex Ægypto, ad iacta Templi Salomonis fundamenta. A structo Templo ad ejusdem destructionem per Nebucadnezar & Captivitatem, quæ propediem sequuta est eam. Ab illâ captivitate tertiâ utque ad Cyri decretum de reducendo populo & reedificandis Hierosolymis. Inde demum ad MESSIÆ, DOMINI ac Redemptoris nostri, mortem & resurrectionem, qua erexit templum corporis sui, quod per mortem destructum fuerat. Hæc instar catenæ coherent satis firmæ, & illorum veritas omnium oculis exposita est in Sacris, ut unum ex Mundi mirabilibus meritò habeatur, ullum unquam Biblia legentem extitisse, qui ea non viderit.

§. 25. Ipsi Judæi, utut ἀπίστια excæcati, ubi perfidiæ suæ non nimis addicti sunt, singula rectissime observata vident, idq; confiteri necesse habent, veritate adacti. Qui Abrahami profecionem Charane affigunt morti Terachi patris ejus, nullum dubitationi relinquunt locum, usque ad Salomonis obitum. Et Philo (non supposititius ille, quem novum, ut & Metasthenem, Berosum & Manetbonem, Joannes Annius, monachus, cudit, auctosq; vel quasi edidit, cujus impostura à Setho Calvisio part. 3. Isag. Chronol. cap. 28. fol. m. 120. b. & aliis reprehensatur condignè; sed γνήσιον) narrat; Nullum, qui Legem legit, ejus rei posse esse ignarum. Templum, quod unâ cum Regno cecidit, haud falso

fò

isò à magnæ existimationis Rabbino *Cabala Abrab. Ben David*, idque ex verâ Judæorum sententiâ, dicitur stetisse *quadringentos viginti septem annos*: Ubi simul explicat, quæ mente dicant; Templum prius annos *quadringentos & decem durasse*. Nempe hæc ipsis ratio sit, quòd ab eo tempore, quo *Joakim* in potestatem venit Babylonij, Templum ac si non fuisset, habuerint. Id autem accidit annis *septendecim* exactè, antequàm periret incendiò. Captivitatem quod attinet, mirificè Hebræi omnes inter se ad hoc consentiunt. De tempore verò *MESSIÆ* definitò *morti*, meretur *Aben Ezra*, ut verba ejus, quibus mysterium hoc explicat, probè observentur: *שבעים שנים הם צוקא רבד בתחלה הח:רני דניאל ולחם צ'יה קדשקדשים.*

Septuaginta septimanæ, ait, sunt ab initio supplicationis Danielis ad obsignationem MESSIÆ, SANCTI SANCTORUM. Quæ ratione, totum illud completur vel ab ipsis invidis Judæis. Atq; hæc occasione Traditionis domus Eliæ!

SYLLOGE TERTIA.

Analogias S. PATRUM & aliorum Scriptorum Chronologicas breviter enarrans.

§ 36. Totam seculorum coronam sibi invicem succedentium, annosamq; vetustatem, quam summus *Plastes*, Antiquus ille dierum, mirifico nexu contexit, vel ipsâ vicissitudine suâ illustrem, ita meditantur, ut eleganter adaptent ei sex hominum ætates venerandi Patres, Græci pariter & Latini, juxtâ ac illi, qui hos sequuntur, Ecclesiæ rationem habentes.

§. 37. Atque eas vel *Mundi*, vel *Ecclesiæ* vicissitudines succedaneas nonnulli in *sex primis* creationis diebus, quidam

dam in *sex horis* Evangelicæ Parabolæ, de conductis ad vineam operariis, cæteri in *ipsis sex hominis ætatibus*, quæ sunt *Infantia, pueritia, adolescentia, juventus, virilitas, senectus*, graphicè esse depictas, tradunt.

§. 38. Secundùm illos, qui omne id tempus, quod à condito mundo effluxit, effluetq; ad ultimum usq; hujus universi diem, in *sex* distinguunt *ætates*, *prima* Mundi *ætas* cœpit ab Adamo & duravit usque ad diluvium, annis 1656. *Secunda* initium sumit à fine diluvij, & duravit usque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, annis 887. *Tertia* cœpit ab egressu illo & duravit usque ad *quartum* annum regni Salomonis, quo Templum condi cœptum, annis 480. *Quarta* cœpit à *quinto* anno regni Salomonis & secundo anno ab inchoato templo, & duravit ad ejusdem destructionem, finemq; captivitatis Babylonicæ, annis 452. *Quinta* cœpit à *relaxatâ* captivitate & ab initio *MONARCHIÆ PERSICÆ* & duravit usq; ad Messicæ adventum annis 525. *Sexta* cœpit ab *incarnatione Filij DEI*, & durabit usque ad interitum hujus universi, à *primo adventu usq; ad ultimum*. De quibus *sex* Mundi *ætatibus* videri possunt Ado Viennensis in *commentar. ad annum Cbr. DCCCC. Heermanni Contracti, Comitis Veringensis lib. Chronic. ab initio Mundi ad an. Chr. M LXVI. Jacob. Tirinus in Chronico Sacr. cap. 7. fol. 5.*

§. 29. Analogiis & sese delectantium elegantibus similitudinibus *Primi ordinem sex dierum*, quibus DEUS, Præpotentissimus Conditor rerum, hujus Verticilli perfecit machinam, speciosè obtendunt. Et ab his quidem *prima ætas* similitudinem *primi diei* gerens, dicitur *ætas Originarij Mundi, Patrum primorum periodus*, eorundemque institutionis, nec non primus Naturæ status. *Secunda*
ætas.

ætas secundum referens diem, ætas diluvii & renovationis vocatur, Noe filiorum periodus, status naturæ secundus. Tertia diei tertij habens imaginem, ætas Circumcisionis, seculum Patriarcharum post diluvianorum, Ducum atque Judicum, status Legis late primus indigitatur. Quarta per diem creationis quartum adumbrata, nuncucatur periodus Regum & Prophetarum, status Legis secundus. Quinta diei quinti typum exprimens, dicitur ætas captivitatis & subsecutæ liberationis, periodus Principum ac Sacerdotum, status Legis ultimus. Sexta demum similis diei sexto ætas redemptionis humani generis & tempus reparatæ salutis, æra seu epocha Christiana à CHRISTO hominum SALVATORE appellatur, Matth. Chefneux Aug. Leod. interprete prolegomen. 2. Specul. Chronograph. fol. 7.

§. 40. Per memorabilem illum diem, horasque ejus criticas, quem parabolâ involvit PROPHETA potens in sermone & opere, Matth. cap. 20. quidam docent significari totum tempus, quod inter initium & finem Mundi interjectum est cum diversis ejusdem periodis. Ita quidem, ut primum mane seu hora prima sit Mundi initium usque ad diluvium, sive ab Adam usque ad Noë. Tertia hora hinc usque ad Abraham. Sexta ab Abraham usque ad Mosen. Nona inclinante jam seculo & pallescente luce virtutis, ut Cornelius Jansenius, Episcopus Iprensis, Imitator S. Ambrosij, in Tetrateucho pag. 156. loquitur, denotat tempus Legis, & decolores hominum mores à Moyse usq; ad Christum. Undecima, ab adventu Christi usque ad finem mundi, quo tempore Gentiles in vineam DOMINI excolendam vocati sunt. Quid sibi vult, inquit ipse Ambrosius, Episcopus Mediolanensis, quod unâ die, diversis horis, conducuntur operarii, nisi quia mille anni in oculis Domini sicut dies besterna, que

*præterit, & hora in nocte? Qua est nox, nisi qua præcessit (Rom. cap. 13.) ut dies appropinquaret? Et bene hora in nocte, quia mille anni sicut dies una. Novit vim dici hujus ille, qui dixit, JESUS CHRISTUS heri & hodie ipse est, & in secula. Scivit & ille diem esse multiplicem, qui scripsit; Hic dies generationis cæli & terræ, cum facta sunt, qua die fecit DEUS cælum & terram, & omne viride agri. Cum enim supra septem descripsisset dies, postea uno die omnia facta esse complexus est, totum Mundi tempus ostendens in conspectu DOMINI, tanquam diem unum, eò quod ex incompositis atque tenebrosis forma istius Mundi, divini operis claritate processerit. Ergo si dies totum tempus est Mundi, habet etiam in Seculis horas suas, aut ipsa secula hora sunt. Unde bene in mysterio dies CHRISTUS, cuius Apostoli duodecim, qui cælesti lumine distinctis in se gratiæ vicibus refulserunt. Venit ergo Pater familias, & primâ horâ, conduxit operarios, fortassis eos, qui à principio Mundi ad diluvium iusti esse meruerunt, de quibus dicit; Et locutus sum ad vos ante lucem, & misi ad vos servos meos Prophetas ante lucem. Tertia post diluvium incipit, Noë, cæterorumque tempora comprehendens qui quasi boni operarii in vineam destinantur. Ideo quasi in prandio inebriatus est Noë. Sextâ & reliquis Abrahæ, Isaac & Jacob, Patriarcharum merita distinguuntur. Nona inclinante jam seculo & tanquam pallecente luce virtutis, Lex & Prophetæ decolores mores hominum notaverunt. Undecima & quod superest diei, sacer producit adventus. Unde & ipse in Evangelio dicit Joban. cap. 12. Ambulate dum Lucem habetis. Commentar. in Evangel. Luca lib. 7. Tom 3. Oper. col. 167. H. I. Similiter & Hilarius, Pictavorum Episcopus diem istum cum distinctis suis horis intertrepatur: In prima, inquit, hora tempus constituti Testamenti ad Noë, ex matu-
cini*

tini significatione noscendum est. Tertia autem hora ad Abraham. Sexta ad Moysen. Nona ad David & Prophetas. Totidem enim testamenta humano generi constituta per singulos reperiuntur, quot Eiusdem (Patrisfamilias) ad forum enumerantur egressus. In undecima autem hora corporei adventus ostendit tempus. Nam ex omni numero, qui spacio presentis seculi est constitutus, in eandem rationem convenit ortus ejus ex Mariâ, inquam undecimæ tempus ex die est. Divisione enim per quingentenum numerum facta, in omni sex millium annorum summa, tempus corporei ortus ejus undecimo divisionis totius calculo supputatur. Comment. in Mattheum Canon. XX. col. 562. Oper. D. E. Intelligunt & diem illum de diversis Mundi ætatibus, Irenæus lib. 4. cap. 70. Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum, cap. 17. Tom. 1. Oper. fol. 377. E. Origines Tractatu in Mattheum 10. Optatus Milevitanus lib. 5. contra Parmenianum. Auctor imperfecti Homil. 34. Gregorius Magnus Homil. 19. Nicolaus de Lyra Glosf. in cap. 20. Matth. lit. e. part. 4. Postill. Confer. D. Joh. Quistorpâi Annotation. Biblic. in N. T. pag. 56. b. Joan. Maldonat. Commentar. in Evangel. Matth. fol. 419. E. C. à Lapide Commentar. in Matth. fol. 381. A.

§. 41. Superest, ut audiamus eos, qui Mundi periodorum analogiam instituunt cum sex hominis in simul ætatibus. Video per totum textum divinarum Scripturarum, inquit Div. Augustinus, sex quasdam ætates operosas, certis quasi limitibus suis esse distinctas, & easdem sex ætates habere similitudinem istorum sex dierum, in quibus ea facta sunt, qua DOMINUM fecisse Scriptura commemorat. Primordia enim generis humani, in quibus ista luce frui cepit, bene comparantur primo diei, quo fecit DEUS lucem. Hæc ÆTAS tanquam INFANTIA deputanda est ipsius UNIVERSI SECULI, quod tanquam unum hominem proportionem magnitudinis suæ cogitare debemus, quia unus-

quisq;

quisq; homo, cum primò nascitur & exit ad lucem, primam
 ætatem agit in *INFANTIA*. Hæc tenditur ab Adam usq; ad
 Noe per generationes decem, quasi vespera hujus dici sit diluvi-
 um, quia & infantia nostra quasi oblivionis diluvio deletur. Et
 incipit mane à temporibus Noë secunda Ætas tanquam *PUE-*
RITIA, & tenditur hac ætas usq; ad Abraham, aliis generatio-
 nibus decem, & bene comparatur secundo dici, quo factum est
 firmamentum inter aquam & aquam: quia & Arca, in qua
 erat Noe cum suis, firmamentum erat inter aquas inferiores, in
 quibus natabat, & superiores, quibus compluebatur. Hæc ætas
 non diluvio deletur, quia & *PUERITIA* nostra non oblivione
 tergitur de memoriâ: Meminimus enim nos fuisse pueros, infan-
 tes autem non meminimus. Hujus vespera est confusio lin-
 gvarum in iis, qui turrim adificabant, ex qua confusione divisio
 orta est populorum. Et fit mane ab Abraham. Sed nec ista
 ætas secunda generavit populum DEI, quia nec pueritia apta est ad
 generandum. Manè ergo fit ab Abraham, & succedit ÆTAS
TERTIA similis *ADOLESCENTIÆ*, & bene comparatur dici
 tertio, qua ab aquis terra separata est: ab omnibus enim Gen-
 tibus, quarum error instabilis, & vanis simulachrorum doctri-
 nis tanquam ventis omnibus mobilis, maris nomine bene signi-
 ficatur. ab hac inquam Gentium vanitate & bujus seculi flucti-
 bus separatus est populus DEI per Abraham, tanquam terra, cum
 aparuit arida, sitiens imbrem caelestem divinorum mandatorum,
 qui populus unum Deum colendo tanquam irrigata terra possit
 fructus utiles afferre Sanctarum Scripturarum & Prophetarum.
 Hæc enim ætas potuit jam generare populum DEO, quia &
 tertia (hominis) ætas, id est, *ADOLESCENTIA* filios habere
 potest. Et ideò ad Abraham dictum est; Patrem multa-
 rum gentium posuisti ante DEUM, cui credidisti, qui vivificat mor-
 tuos,

tuos,

tuos, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. *Numeras
 stellas cœli, si potes, sic erit semen tuum; Et augebo te nimis. &
 ponam te in gentes, & Reges ex te exient, & ponam testamentum
 meum inter me & semen tuum post te, VT SIM TIBI DEUS & semi-
 ni tuo post te.* Hæc Ætas porrigitur ab Abraham usq; ad Da-
 vid, generationibus quatuordecim. Hujus Vespera est in po-
 puli peccatis, quibus divina mandata præteribant, usq; ad mali-
 tiam pessimi Regis Saul. Et inde fit manè Regnum David. Hæc
 ætas quarta similis Juventuti est. Et reverà inter omnes æta-
 tes regnat Juventus, & ipsa est firmamentum & ornamentum
 omnium ætatum. Et ideo bene comparatur quarto diei, quo fa-
 cta sunt Sidera in firmamento cœli. Quid enim evidentius signi-
 ficat splendorem Regni quàm Solis excellentia? Et plebem ob-
 temperantem Regi splendor Luna ostendit, tanquam Synagogam
 ipsam: Et stellæ, Principes ejus, & omnia tanquam in firma-
 mento, in regni stabilitate fundata. Hujus quasi vespera est
 in peccatis Regum, quibus illa Gens meruit captivari atq; ser-
 vire. Et fit manè à transmigratione in Babyloniam, cum in
 eà captivitate populus leniter & in peregrino otio collocatus est. Et
 porrigitur hæc ætas usq; ad adventum DOMINI nostri JESU
 CHRISTI, id est, quinta ætas, declinatio à juventute ad senectutem
 nondū senectus, sed jam non juvenis, quæ senioris ætas est. Et reverà
 sic ista ætas à regni robore inclinata & fracta est in populo judæo-
 rum, quemadmodum homo à juventute fit senior. Et bene compara-
 tur illi diei quinto, quo facta sunt in aquis animalia & vo-
 latilia cœli, quando ex aquis volucres avolarunt, in aquis pi-
 sces remanserunt. Nam tunc illi homines inter Gentes tanquam
 in mari esse ceperunt & habere incertam sedem & instabilem, si-
 cut volantes aves. Postea verò ex aquis, id est, populis Gentium,

*in Judæam ad colendum DEUM, velut volucres, facultatem donante
 te Cyro, evolarunt : Gentes autem uti pisces in suis regionibus &
 idolorum cultu permansere. Ubi sanè animadvertendum est,
 quod benedixit DEUS illa animalia, dicens ; Crescite & multipli-
 camini, & replete aquas maris, & volatilia multiplicentur
 super terram. Quia verò gens Judæorum, ex quo dispersa est
 per Gentes, valde multiplicata est. Hujus diei, id est, hujus æ-
 tatis quasi vespera est multiplicatio peccatorum in popu-
 lo Judæorum, quia sic excacati sunt, ut etiam DOMINUM JE-
 SUM CHRISTUM non possent agnoscere. Mane autem fit ex
 prædicatione Evangelij per Dominum nostrum J. C. & fini-
 tur dies quintus : Incipit verò sextus, in quo senectus veteris
 hominis apparet. Hac enim ætate (sextâ) illud carnale regnum
 vehementer attritum est, quando & templum dejectum est, & sa-
 crificia ipsa cesaverunt, & nunc egens, quantum ad regni sui
 vires attinet, quasi extremam vitam trahit. In istâ autem
 ætate tanquam in senectute veteris hominis, homo novus
 nascitur, qui jam spiritualiter vivit : Sexta enim die dictum
 erat ; Producat terra animam vivam. Serpentes ergò & pe-
 cora, que terra produxit, Gentes significant jam stabiliter
 Evangelio credituras, de quibus dicitur in illo vase, quod
 Petro in Actibus apostolorum cap. 10. demonstratum est ; Ma-
 sta & manduca. Et cum ille immunda diceret, responsum
 est ei ; Quæ DEUS mundavit, tu ne immunda dixeris. Tunc fit
 homo ad imaginem & similitudinem DEI, sicut in istâ sextâ æ-
 tate nascitur in carne DOMINUS noster in similitudinem
 hominum factus, & habitu inventus ut homo. Et quem-
 admodum in illo die masculus & foemina : Sic & in istâ ætate
 CHRISTUS & Ecclesia de Gentibus. Et preponitur homo in illo die
 pecoribus & serpentibus vel volatilibus cæli, sicut in istâ ætate
 Chri-*

CHRISTUS regit animas obtemperantes sibi, quæ ad Ecclesiam ejus, partim de gentibus, & partim de populo judæorum venerunt, ne ab eo domarentur atq; mansuescerent homines, qui vel carnali concupiscentiæ dediti erant sicut pecora, vel tenebrosâ curiositate obscurati quasi serpentes. Hujus autem ætatis quasi vespera (quæ utinam nos non inveniatur, si tamen nondum cœpit) illa est, de qua DOMINUS dicit; Putas, cùm veniet filius hominis, inveniet fidem in terra? Post istam vesperam veniet mane, cum ipse DOMINUS in claritate venturus est. Tunc requiescent cum Christo ab omnibus operibus suis hi, quibus dictum est; Estote perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est. Tales enim faciunt bona opera valdè. Post talia opera speranda est requies in die septima, qui vesperam non habet. Quid enim aliud significat Scriptura divina, cùm dicit, DEUM requievisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit valdè bona, nisi requiem nostram, quam nobis daturus est ab omnibus operibus nostris, si & nos bona opera fecerimus? Tunc perficietur; VACATE & videte, quoniam Ego sum DEUS. Tunc erit verè maximum Sabbathum, quod commendavit DOMINUS in primis operibus mundi, ubi legitur; Et benedixit DEUS diei septimæ, & sanctificavit eum, quia in eo requievit ab omnibus operibus suis. Dies enim septimus etiam Nos ipsi erimus, quando Eius fuerimus benedictione & sanctificatione pleni atq; refectioni. TUNC PERFECTE VACABIMUS & perfectè videbimus, quoniam ipse est DEUS. Hæc SEPTIMA ÆTAS SABBATUM nostrum, cujus finis non erit vespera, sed Dominicus dies veluti octavus, qui Christi Resurrectione sacratus est, æternam non solum spiritus, verum etiam corporis resurrectionem præfigurans. Ista ergò expositio per ordinem dierum sic indicat tanquam historiam rerum factarum, ut prædicationem maximè futurorum observet.

Hæc locuples Augustinus, *lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 23.* & *lib. 22. de Civitate Dei, cap. 30. Tom. 5. Oper. fol. 786.* Et *lib. 14. contra Faustum, cap. 8.* Confer Chrylostom. *Tom. 1. in Homil. Jephthæ.* Isidori Hispalensis *lib. 5. Etymologiarum, cap. 38. & 39. fol. m. 27.* Bedæ *lib. de Ratione temporum cap. 64. & Libell. de sex ætatibus.*

§. 42. In eodem genere recensendi articulos Chronico-mythicos, versatur & Rupertus Abbas *lib. 4. de divinis officiis, cap. 6. 7. 8. 9.* ita tamen, ut Ecclesiæ accommode sex Mundi atque hominis ætates, Ecclesiam docens non secus ac hominem suis ætatibus constituisse, senis que temporum intervallis ad perfectionem fidei profectam esse. Hinc *primam Mundi ætatem*, quæ ab Adamo usque ad Noe protenditur, *ECCLESIE INFANTIAM* appellat, quia tunc cœpit, ut ipsius *facies* spectaretur tanquam *nascentis*. *Secundam autem ætatem*, à Noë ad Abraham, *PUERITIAM ECCLESIE* infantiles annos jam egressæ nuncupat; quia tunc loquente DEO ad Noe, prima doctrinæ salutaris rudimenta percepit, & primis, de tranquillo & quieto Paradisi utero ejecta, divinorum præceptorum elementis imbuta est, eorundemque accepit disciplinam. *Tertiam ætatem* ab Abraham usque ad David, *ECCLESIE ADOLESCENTIAM* seu *pubertatem* fuisse scribit: Tunc enim Circumcisionem & Legem Moysis quasi *pedagogum*, ne lasciviret, accepit. *Quarta ætas*, à captivitate usque ad Christum, Eiusdem Ecclesiæ *VIRILITAS* dicitur, quia tunc Ducum & Sacerdotum plusquam virili fortitudine invaluit. *SEXTA* denique *ætas*, à Christo ad Mundi finem, *SENECTUS* est; Cùm enim Regum, Prophetarum, Ducumque jam effœta

effœta esset, *Exaltatum est sicut unicornis cornu ejus. id est, Christus REX potentia singularis & DOMINUS virtutum ineanatus est.* Et Senectus ejus in misericordiâ ubere, quia videlicet in multitudine misericordie REX ISRAEL benedictus advenit. Rupertus hæctenus. Præterea annian datur mystici quæri solet, quorum unicuique nonnulli assignant 343. dies. 7. menses, & horum cuilibet 49. dies. De his autem omnibus in Sac. Literis altum est silentium: Nec enim in iis habentur sive $\kappa\epsilon\tau\omicron\iota$ & $\alpha\upsilon\tau\omicron\lambda\epsilon\chi\epsilon\iota$ sive $\kappa\alpha\lambda\grave{\alpha}$ $\delta\iota\alpha\nu\omicron\iota\alpha\nu$. Et quia Sac. Scriptura ejusmodi annos mysticos ignorat, negativam amplectitur idcirco aliisque motus rationibus, Cl. Johan. Wichmannus *Chronolog. Sac. lib. 1. part. 1. Sect. 5. memb. 3. quest. 1. pag. 28.* Cui suffragamur.

§. 43. Deprehendet facilè, qui illam ætatum Ecclesiasticarum seriem supra deductam haud neglexerit, sed singulas diligenter percontatus fuerit, nullo unquam tempore ÆTERNAM SAPIENTIAM destitisse multifariam hominibus loqui & horum mentibus divina intimare mysteria. *Delectabar, IPSA inquit, per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: Et delicia meæ cum filiis hominum.* Proverb. cap. 8. v. 30. 31. Quod confirmat Apostolus, cum divinitus instructus in hæc irrumpit verba; *Multis vicibus, omnibusq; modis ac formis DEUS olim locutus cum PATRIBUS per Prophetas ab initio, & ultimis diebus hæc locutus est ad nos per FILIUM SUUM, quem constituit HEREDEM omnium, & per eum fecit secula.* Qui quum est SPLENDOR GLORIÆ EJUS & IMAGO ESSENTIÆ EJUS, sustinetq; omnia virtute verbi sui,

E 3

pur-

purificatione peccatorum nostrorum per se ipsum facta, sedet ad dexteram Majestatis illius in excelsis. Ebr. cap. 1. v. 1. 2. 3.

§. 44. Mutata quidem interea sunt tempora, non verò salvifica variata est fides. Crediderunt enim & Patres antiqui fœderis & Patriarchæ, pij Reges & Prophetæ, unius veri ac TRINI DEI sempiternam Majestatem, crediderunt in Christum unigenitum à PATRE ante secula, hominem in plenitudine temporis nasciturum, unicum DEI & hominum Mediatorem, divinitus sibi in protevangeliis promissum, aliquoties deinde repromissum, *innumerisq; typis adumbratum*, quem salutarunt à longè, in eum sperarunt, & per ipsius gratiam salvati sunt. *Actor. cap. 15. v. 11.* Priscis enim omnia contingebant *in figurâ*, D. Paulo asserente. *1. Corinth. cap. 10. v. 11.* Cùm omnis Legis Veteris series typum gesserit futuri, & similis Theatro extiterit antiqua Ecclesia, in quo mille Symbola venturum Messiam, ejusque regnum delineantia, continuum præbuere spectaculum. Carnis quoque resurrectionem professi sunt, nec dubitarunt de immortalitate animarum, sed in fide expectarunt seculum alterum, in quo præmiis condecorentur piorum labores & passiones, mali autem puniantur æternis cruciatibus. *Justus enim ex fide vivet*, æternos autem cruciatos sentiet incredulus, in quo non est rectus animus. *Chabakkuk. cap. 2. v. 4.* Siquidem justitia ipsius DEI in eo revelatur *ex fide in fidem*, ut Paulus loquitur, ad illud provocans, quod scriptum est; **JUSTUS EX FIDE VIVET.** Revelatur nec minus ipsa ira DEI de cælo *adversus omnem impietatem & injustitiam filiorum hominis, qui veritatem in iniquitate detinent.* Propterea quòd notitia DEI manifesta est in illis, DEUS enim ipsis manifestavit

stavit eam. Invisibilia enim Dei jam inde à condito mundo exiis, quæ fecit, mente propensâ conspiciuntur, eterna videlicet *Ejus* tum *divinitas*, tum *potentia*, ad hoc ut sint inexcusabiles. *Rom. cap. 1. v. 17. 20. Gal. cap. 3. v. 11.* Quo de vide sis *Theologiam nostram Naturalem cap. 1. §. 12. 18.* Et *Tra-ctatum nostrum de Religione Gentium circa Fæstâ pag. 3. seq.*

§. 45. Sancti itaque Veteris istius Fœderis justitiam operati sunt & adepti repromissiones per illud, quod *justus ex fide suâ vivat.* Ac si quis illâ excidatur, non probat eum **DOMINUS.** *At nos, inquit Apostolus, non ij sumus, qui nos abducamus ad perditionem, sed qui credamus ad anime salutem. Ebr. cap. 10. v. 38. 39. cap. 11. v. 33.*

§. 46. Exponit hoc assertum *de fide Veterum*, ejusque immutabilitate eleganter Augustinus, *Epist. 157. ad Optatum*, ita scribens; *Christi saluberrimâ fide etiam illi JUSTI salvi facti sunt, qui PRIUS QUAM VENIRET IN CARNEM, crediderunt in carnem venturum; EADEM namque FIDES est, ET NOSTRA & ILLORUM; quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.* Et rursus *in Comment. Psal. 50.* *Dispensatio itaque suscepta carnis futura à PATRIBUS CREDEBATUR, sicut à nobis facta creditur.* *Tempora Variata sunt, non fides. Quia & ipsa verba pro tempore variantur, cum variè declinantur.* Alium habet sonum; *VENTURUS est*; Alium sonum habet; *VENIT.* Mutatus est sonus; *VENTURUS EST ET VENIT.* *EADEM tamen FIDES UTROSQUE CONIUNGIT, & eos, qui venturum esse, & eos, qui venisse, crediderunt.* Sed hæc pluribus deducta in *Disputatione de FIDE VETERUM* exhibebimus *Libro de SACRIS PATRIARCHARUM* expetente prælum,
nunc

nunc dissertationem hanc Tractatus Historico-Chrono-
logici primam sonoris ipsius JEHOVÆ concludimus ver-
bis *Esa. cap. 28. v. 16.* (vid. *Loca parallela Rom. cap. 9. v. 33.*
1. Petr. cap. 2. v. 6.) ECCE EGO, inquit, DOMINUS JEHOVA,
fundamentum posui in Sion Lapidem, Lapidem
probationis, angularem, preciosum, firmis-
simum. Et quisquis credit in Eum,
non pudebit.

F I N I S.



Kapsel 78L 1266

[4]

ULB Halle


3


005 393 760



VD 17 Rest. 150m
9/00







Farbkarte #13

B.I.G.



8-L 4266 [47]

ATUS
O-CHRO-
GICI
TATIO
MA,

um hujus Universi
ONE,

priscorum

um, Juxta ac decantata
Sex millia annorum dura-
non ANALOGIÆ S. Pa-
norum Chronico-

LLOGIS,
IQUITATIS

is
DIO,
ntur
OVICI RUELII,
f. Doctoris.

at Andreas Koch,
1665.

